

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

T H E S E S
D E
P E R S O N A
C H R I S T I,

Favente Deo,

P R Æ S I D E R E V E -
R E N D O E T C L A R I S S I M O
V I R O I A C O B O K I M E D O N -
C I O, S. Theologiae D. & Professore,

Ad disputandum propositæ

A I O A N N E R E G I O L O N D I N E N S I.

In auditorio Theologico, 13. De-
cembris horis matutinis.

H E I D E L B E R G Æ,
Typis Smetsmannianis, cl. Io. xcV.

REVERENDO, CLARISS.
SPECTATISSIMÆQUE PIETATIS
& eruditionis Viro, D. HADRIANO SARAVIÆ,
SS. Theologiæ Doctore, patrono meo pluri-
mum colendo, Gratiā, & pacem
à Domino.

VT tibi vir præstantissime, theses has dedicarem, officij intermissi
exegit necessitas. quod ut citius tibi debebatur, citius tamen ex-
hibere non potui, nec si potuissē, consultum existimaui, habita loci in
quo eram ratione. Semotus iam ab omni cura, longiorem moram fa-
ciendam non putavi: sed dilato officio satisfacere, idque quàm pri-
mum volui, ne tuis in me non secus ac in filium collatis beneficiis, in-
gratus viderer. Argumentum huius disputationis est de Persona
Christi: materia certè dignissima, & tempori, instante propediem
Natali Domini, aptissima: verum à multis olim & nunc odiosè exa-
gutata. Hoc verò diligentius excutienda est, ut non solum illius ve-
ritas constet, sed ita perspecta sit, ut ab aduersariorum erroribus pur-
gari, calumniis vindicari possit. Fateor multa in hoc argumento esse
sublimia, multa de quibus inter doctos nō cōuenit sed tenenda est illa
D. Pauli regula, μή ὑπερφρονεῖν παρὸ θεοῦ φρονεῖν, ἀλλὰ φρονεῖν
εἰς τὸ σωφρονεῖν. Accipe ergo vir ornatissime, & respice hoc gra-
ti animi pignus, eò libentius & confidentius oblatum, quod tuā mihi
penitus & probè perspecta sit humanitas: quæ tanta est, ut vel signi-
ficatione grati animi cumulati sibi satisfactum existimet. Quæ fre-
tus spe diutinum silentium non in mora fore scio, quin (quod pater-
nus tuus spondet in me affectus) gratitudinis hoc τεκμήριον acce-
ptum futurum sit: quo non referre gratiam parem beneficiis, sed offi-
cio & obsequio animoque grato iis quodammodò respondere studeo.
Vale vir clarissime, patrone obseruande: & me amare perge. Hei-
delberga,

Tuæ dignitati addictissimus,

IOANNES REGIVS.





II

D E
PERSONA CHRISTI

THESIS PRIMA.



PERSONA, quam Græci Theologi ὑπόστασις & πρόσωπον vocant, est subsistens indiuiduum, intelligens, incommunicabile, non sustentatum in alio.

II.

Differt ab essentia, ἔσθια Græcis, quòd essentia sit communicabilis, persona incommunicabilis.

Basil. e-
pist. 43.
Theodor.
Dialog. 1.

III.

Siquidem ὑπόστασις essentiam includit, & superaddit proprietatem, seu modum aliquem quo fit vt incommunicabilis existat.

IV.

Eiusmodi proprietates & modi existendi in S. Triade sunt; quòd Pater à nemine existens, Filium genuit, Filius verò à Patre genitus est; & Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedit.

V.

Persona verò Domini nostri Iesu Christi, est Filius Dei incarnatus, idem Dei & hominis filius: ex Patre ante secula genitus, postremis verò diebus propter nos & nostram salutem homo natus, ex sancta & Deipara virgine.

1oh. 1. ver.
14. Ioha. 5.
17. & seqq.

A 2 Verum



VI.

Verum igitur Deum, & hominem verum Catholica fides Christum profitetur, duabus naturis, diuina & humana, personaliter vnitis, vt eadem sit ipsius carnis quæ verbi Dei ὑπόστασις. Nam quamuis natura humana ipsi post suum esse completum aduenerit, non tamen aduenit vt accidens, quia ad idem esse personale, licet non essentiale, assumpta est.

VII.

Jerem. 23.
24. Psalm.
139. 6. Non igitur diuinitas sic tantum in Christo est, sicut omnibus adest creaturis, generali modo præsentia, quo Deus vbique totus est in se ipso, cunctaque sustentat & gubernat:

VIII.

1 Cor. 3. 16.
2. Cor. 6.
16. Neque tantum sicut speciali præsentia gratiæ in Petro, & Paulo, & omnibus sanctis habitat, tanquam in templis Spiritus Sancti:

IX.

August. ad
Dardanū. Neque enim Deus cum vbique sit per diuinitatis præsentiam, vbique etiam est per habitationis gratiam: sicut nec in omnibus in quibus habitat, æqualiter habitat, sed pro capacitatis eorum diuersitate;

X.

Ioh. 1. 14.
Colof. 2. 9. Verum, singulari sustentatione & habitatione, natura assumpta vna facta est persona cum Dei verbo, vnione quæ ὑποστατικὴ siue personalis ob id dicta est.

XI.

Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus, ait *symbolum Athanasii.*

Vbi

XII.

Vbi tamen dissimilitudo haud exigua est. Nam in homine est naturalis rerum tempore coniunctarum & creaturarum vnio: in Domino autem Christo, prae-
Theodor.
Dial.2.
 existenti ab aeterno, & increatae diuinitati, vnita est creata humanitas, per gratiam.

XIII.

Porro, Deus & homo vnus sunt Christus, non con-
 uersione diuinitatis in carnem; sicut Anabaptistarum nonnulli per veterum haereticorum errores volutati, blasphemant: Deus enim non mutatur:
Malac. 3.6.

XIV.

Nec naturae humanae cum diuina permixtione, prout insani Eutyechiani diuinitatem quidem dicebant mansisse, ab hac vero absorptam humanitatem, ac si mare guttam mellis acciperet: vnicam tantummodo naturam ita post vnionem statuentes.

XV.

Neque etiam naturarum exaequatione, aut reali proprietatum vnus naturae cum altera, communicatione (qualis hoc tempore à multis creditur, & tanta cum acerbitate vrgetur, vt ea negata personam Christi dissolui & Nestorianismum induci autument, nescientes quid dicant:

XVI.

Sed secundum veritatem Catholicam, Deus & homo vnus sunt Christus, humanitatis in vnam eandemque cum λόγος personam assumptione: sicut Apostolus *Philipp. 2. 7. Hebr. 2. 16.* per verbum assumendi mysterium hoc explicat, de quo dicitur Iohan. 1. *Verbum caro factum est.*

A 3

Vnde

XVII.

Vnde sequitur, naturam assumptam in Christo propria personalitate esse destitutam, cum in persona assumptis λογος sustentetur & subsistat.

XVIII.

Credimus contra Simonianos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos, Eutychianos, Seruetanos, Mennonitas, aliasque tales pestes, à filio Dei assumptam carnem verè humanam in vtero B. virginis, deque eius substantia formatam, operatione Spiritus Sancti.

XIX.

Mundam tamen & sanctam, omnisque peccati expertem carnem assumpsit, vt fratribus suis per omnia esset similis, excepto peccato.

XX.

Talis enim decebat nos Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: vt iustus pro iniustis moriens, peccata nostra auferret.

XXI.

Cum carne autem vnà animam quoque rationalem assumpsit: quod contra Arii & Apolinarij deliria, firma fide tenendum est. Sicut enim carne ad carnis nostræ, ita etiam anima ad animæ nostræ liberationem opus fuit Mediatori Christo. *Arrius & Eunomius animæ assumptionem simpliciter negabant. Apolinarius animæ rationalis: Dnas enim faciebat in homine animas, & rationis quidem expertem Christo tribuens, diuinitatem pro anima rationali, siue pro mente fuisse fingebat. Theod. Dial. 2.*

XXII.

Carnis atque animæ assumptio isthæc, atque vnio cum λογος, inseparabilis est in omnem æternitatem; ita vt

ita vt vnigenitus Dei filius ex quo incarnatio cœpit,
nunquam homo & frater noster esse desinat.

XXIII.

Ideoq̄ue in ipsa morte, qua animæ à corpore separatio facta est, λόγος nec ab anima nec à corpore suo separatus fuit.

XXIV.

Sicut etiam post salutarem passionem & resurrectionem, & ascensionem, naturarum, diuinę & humanę in Christo vnionem sacrę literę testantur. *Luc. 24. 39. Act. 17. 31. Matth. 25. 31.*

XXV.

Resurrexit quidem Dominicum corpus immortale & incorruptibile; attamen corpus, & priorem habens circumscriptionem, & manus & pedes, ceteraque membra; tactui & visui patens, sicut ante resurrectionem; vt totidem ferè verbis refert Theodoretus Dialog. 2. & 3. Vnde & August. ad Dardanum. *Carni immortalitatem dedit, naturam non abstulit.* Et subiicit, *Cauendum ne ita diuinitatem adstruamus hominis, vt veritatem carnis amittamus.*

XXVI.

Vaniloquus igitur error, & portentosa blasphemia est, quòd Svvenckfeldius sub titulo glorię Christi excogitauit *Deificationem* carnis Christi: sic enim loquitur. & ἀποθέωσιν istam explicans, comminiscitur Christum à glorificatione, etiam secundum naturam humanam Deum esse, & hanc eiusdem esse substantię & glorię cum diuina, & prorsus eidem exæquatam, nisi quòd natura humana gloriam à diuina acceperit.

Svvenckf.
de gloria
Christi ad
Melanch.
Item, ad
Landgrauium.

XXVII.

Similis amentia fuit Eutychnorum; Dialogo 2.
Theodo-

Theodoret, & aliis veterū scriptis diligenter refuta-
ta; nisi quod Eutychiani in errore instabiles, nunc in
incarnatione, nunc in resurrectione, aut etiam in a-
scensione, mutationem istam carnis Christi in diui-
nitatis essentiam imaginabantur.

XXVIII.

Iidem duas recusantes dicere naturas in Christo,
hoc apertiores erant Sivenchfeldio, qui re ipsa idem
agens, nolebat tamen videri naturam humanam de-
struere.

XXIX.

Sed deletio proprietatum, naturæ abnegatio est.
Idcirco orthodoxæ adhærentes confessioni, in statu
tam glorificationis quàm humiliationis, sic duas in
Christo naturas esse, & æternū manere credimus,
vt vtrique naturæ saluæ quoque sint & maneant pro-
prietates essentielles.

XXX.

Eiusmodi proprietates in Deo sunt, esse increa-
tum, infinitum, omnipotentem, &c. & hæ propieta-
tes sunt ipsa æterna & immutabilis diuinitas. In ho-
mine, esse creatum, finitum, circumscriptum, visibi-
lem, palpabilem &c. Has à conceptionis momento
in æternum seruat Christus.

XXXI.

Differunt autem in Christo proprietates humanæ
essenciales ab accidentalibus, quibus remotis natura
nihilominus salua manet.

XXXII.

Quæ rursus sunt vel infirmitatis vel gloriæ. Infir-
mitatis; vt sitire, esurire, fatigari, dolere, pati, & mori
posse,

posse. quas omnes, excepto peccato, cum natura humana Christus assumpsit, sic postulante officio Mediatoris, sed deposuit eas in glorificatione.

XXXIII.

Gloriæ & maiestatis; ut robur, sapientia, lætitia, & virtus, & quicquid ad beatitudinem & gloriam pertinet. Has licet in sua humilitate ex parte habuerit Christus, quantum ad perfectam personæ innocentiam, & officij in terris administrationem sat erat, in glorificatione tamen omnem earum plenitudinem, summa cum redundantia, quanta in creatam naturam cadere potest, accepit; collocatus ad dextrā maiestatis, longè suprā omne imperium, potestatem, & potentiam, & omne nomen in hoc & futuro seculo.

Ephes. 1.
Heb. 1.
Ephes. 3.

XXXIV.

Nullane igitur proprietatum utrarumque communio est? Id æmuli nostris quidem impingunt, sed falsò.

XXXV.

Reijcimus sanè idiomatum siue proprietatum communicationem realem, qualem Ubiquistę somniant, qua Christi natura humana dicatur & credatur omnipotens, omniscia, ubique præsens: at proprietatum communionem eiusmodi, qualem unio naturarum, quæ illius fundamentum est, exigit, fidei mente amplectimur.

XXXVI.

Unionem istam exprimentes, non dicimus; *humanitas Deus est, aut deitas homo.* Vel, *humanitas deitas est, aut deitas humanitas:* sed de homine Christo verè & realiter dicimus, *Homo est Deus, & Deus homo.*

B

Simi-

XXXVII.

Similiter naturæ sibi mutuò communicant idioma-
mata, in persona: teste Theodoro dial. 2. *Cum de na-
turis loquimur, suum cuique tribuamus*, inquit. *Cum autem
de persona verba facimus, communicanda sunt naturarum
propria, & hæc atque illa Seruatori tribuenda sunt.* Et dial. 3.
κοινὰ τῶν θεσώπων γέγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια.

XXXVIII.

Sicut cum de homine loquimur, tribuimus illi &
corporis & animæ propria. Et hæc enim & illa ei
congruunt, licet non secundum idem.

XXXIX.

Exempli gratiâ. Verè & realiter de Christo dici-
mus: Homo iste erat antequam Abraham esset, & ab
æterno: est creator cœli & terræ, omnipotens, im-
mensus; descendit de cœlo: ac in terris existens, simul
in cœlo & vbique erat, resuscitat mortuos, dat Spiri-
tum Sanctum. & similia.

XXXX.

Symb. a-
post.1. Cor. 2.
Act. 20.

Vice versa, vnigenitus Dei filius ex Maria virgine
natus, passus & mortuus est: & Maria dicitur *θεοτόκος*, &
Dominus gloriæ crucifixus, & Ecclesia proprio Dei
sanguine redempta.

XXXXI.

Pro quibus impiè diceretur, diuinitatem ex Maria
natam, inortuam aut passam esse.

XXXXII.

Nempe igitur naturæ sibi mutuò communicant
idiomata in concreto, vt loquimur, & non in abstra-
cto.

XXXXIII.

Concretum (ne quis erret) intelligimus nomen
personæ

personæ significatiuum : vt sunt, Deus, homo, filius
Dei, filius hominis. Abstractum, nomen naturæ : vt
sunt, diuinitas, humanitas, caro, sanguis.

XXXIV.

Sicut autem humana Deo non nisi secundum car- Rom. 1.3.
nem tribuimus, ita diuinitatis, non carnis respectu, di- 1. Pet. 3.18.
uina homini accommodanda sunt. & seq. v.4.

XXXV.

Quod de proprietatibus adhuc dictum, de opera-
tionibus similiter verum est; personæ Christi ab hac
vel illa natura denominatæ, (puta Dei vel hominis ap-
pellatione) vtriusque naturæ operationes omnes
communicari, & competere realissimè.

XXXVI.

Quod aiunt nonnulli, Christum omnia opera
diuina per humanam naturam tanquam per instru-
mentum efficere, sicut anima actiones suas omnes
per corpus exsequatur; imperitè & falsò vtrumque
dicitur.



personae & aliterque ut sunt. Item, homo
Dei, filius hominis, & filius
sunt, aliterque, & aliterque, & aliterque.

Sicut inquit, homo, & non inquit, homo
Dei, filius hominis, & filius
sunt, aliterque, & aliterque, & aliterque.

Quod de propositis & aliterque, & aliterque
non inquit, homo, & non inquit, homo
Dei, filius hominis, & filius
sunt, aliterque, & aliterque, & aliterque.

Quod aliterque, & aliterque, & aliterque
non inquit, homo, & non inquit, homo
Dei, filius hominis, & filius
sunt, aliterque, & aliterque, & aliterque.



Umg. VI 45


ULB Halle 3
002 379 767



s. b.

WDA





23

T H E S E S
D E
P E R S O N A
C H R I S T I,
Favente Deo,
P R Æ S I D E R E V E -
R E N D O E T C L A R I S S I M O
V I R O I A C O B O K I M E D O N -
C I O, S. Theologiae D. & Professore,
Ad disputandum propositæ
A I O A N N E R E G I O L O N D I N E N S I.
In auditorio Theologico, 13. De-
cembris horis matutinis.
H E I D E L B E R G Æ,
Typis Smesmannianis, clō. Io. xcV.